



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De reliquijs martyrum, qui Bernardum in latere stimulauerunt, cùm illicitè moueretur, cap. 67.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

victorum, asserentes candidissimam aciem cruces rubeas in pectore gerentem, suorum multitudinem in fugam conuertisse. Insuper galeæ, quas per mare contra Christianos conduxerant, cælestis illius visionis terrore sunt fugatæ. Quod peregrini audientes, gratias egerunt Christo, qui martyrum suorum auxilia eis destinare dignatus est de cælo. Hæc mihi relata sunt ab his, qui certamini interfuerunt, & ex ore Saracænorum, quæ dicta sunt, audierunt. APOLLONIVS: Est ne peccatum, cum martyrum reliquijs ire ad requisita naturæ? CÆSARIVS: Peccatum est, si gestantes illas, non excusauerit necessitas: sancti non abhorret foetorem naturæ, sed culpæ.

## CAPVT LXVII.

*Martyrū  
reliquias  
ferentes,  
debent  
vitare  
peccata.*

**B**ernhardus monachus noster, tempore quodā ante cōuersionem, nescio quō iturus, reliquias beatorum martyrum Ioannis & Pauli in capsula ad latus portabat; quem cū carnis incentiua ad delectationem mouerent, sancti martyres, quia motus illicitos restringere non conaretur, per capsellam latus eius durè satis tundere ceperunt: quod cū ille non aduerteret, & motibus libidinosi quiescentibus etiam rursiones cessarent, per horas aliquas, cū iterū titillationes surgerent, renouatæ sunt & punctiones: ac si sancti suum baiulum voce prophetica increparent, dicentes; Mundare, qui fers vasa Domini. Vasa Domini sunt corpora sanctorum. Hinc est quōd Achimelech sacerdos, cū hæsitaret pueris Dauid dare panem sanctum, Dauid respondit; Et quidem si de mulieribus agitur, continemus nos ab heri & nudius tertius quando egrediebamur, & fuerunt vasa, id est, corpora puerorum sancta, id est, munda à concubitu. Et, sicut mihi retulit prædictus Bernardus, mox vt notare cepit pœnam, in quātum potuit, compescuit culpam, ex hoc discens, quōd sanctis placet, non solum munditia mentis, sed & corporis. APOLLONIVS: Quid sentis de prædicatoribus illis, qui tantum propter quæstum sanctorum reliquias circumferunt, multosque decipiunt? CÆSARIVS: Quōd sancti ad  
talium

*Isaia 52.*

*1. Reg 21*

talium triumphas indignentur, dicam tibi, quod monachus quidam de Bruwilre mihi recitauit.

## CAPVT LXVIII.

**Q**Vando ecclesiam suam monachi iam dicti cenobij ampliari disposuerunt, per quosdam sacerdotes seculares, in lingua potentes, & ad emungendum pecunias efficaces, dentem patroni sui beati pontificis Nicolai, ad diuersas transmiserunt prouincias: erat autem crystallo inclusus. Die quadam, cum prædicatores conductitij inhonestè se gerendo, vas tantarum reliquiarum circumferrent, crystalus crepuit, ac si illorum blasphemias pontifex reuerendissimus sustinere non posset. Quo miraculo viso, monachi dentem retulerunt, neque ad tale opus ultra eum de monasterio efferri passi sunt. Ego rupturam eius crystalli vidi. **A P O L L O N I V S:** Quid est quòd quidam martyres alijs maiora signa faciunt post mortem: estne hoc ex aliqua eminentia sanctitatis? **CÆSARIVS:** Sicut superius dixi, miracula non sunt de substantia meriti, sed signa sanctitatis: quidam sancti in vita sua multa signa faciunt, & post mortem quiescunt; alij econuerso, quia nulla sanctitatis suæ indicia in mundo dederunt, post mortem miraculis clarescunt.

## CAPVT LXIX.

**B**Eatus Thomas Episcopus Cantuariensis, qui nostris tēporibus pro ecclesiæ libertate vsque ad mortem dimicauit, nullis miraculis in suis persecutionibus coruscavit, satisque de illo post occisionem disputatum est: quidam dixerunt eum damnatum, vt regni proditorem; alij martyrem, vti ecclesiæ defensorem. Eadem quæstio Parisijs inter magistros ventilata est: nam magister Rogerus, iurauit illum dignum fuisse morte, etsi non tali, beati viri constantiam, iudicans contumaciam. Econtra magister Petrus Cantor iurauit esse martyrem Deo dignum, vtpote pro libertate ecclesiæ trucidatū. Quorū quæstionem Christus soluit, cum multis & magnis illum signis glorificauit. Nō ideo tamē Apostolis, siue alijs

*li. 6. c. 5.  
& l. 8.  
cap. 53.*

*Cur SS.  
aliqui  
tantum  
post mortem  
miraculis  
clarescāt*